

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XI - N. 1

1979

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOCNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1979

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam sacros Praesules nationis Canadensis	3
Allocutio ad Sacram Romanam Rotam	8

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus</i>	
Procedura da seguire in caso di dimissioni di una religiosa di voti perpetui	14
<i>Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal</i>	
Vestmonasterien. De Legitimitate novarum Constitutionum	18

ACTA COMMISSIONIS

<i>Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum</i>	
I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum	22
II. Coetus studiorum de Processibus	67

DOCUMENTA

De iuribus infantium (P. Card. Felici)	163
--	-----

NOTITIAE	171
--------------------	-----

SESSIO IV
(diebus 20-25 novembris 1978 habita)

Adunatio diei 25 novembris 1978

CAPUT I
DE DECLARATIONIBUS PARTIUM

Can. 171

§ 1. Quoties id utile censeat ad veritatem aptius eruendam iudex debet partes interrogare, si pars aliqua petat, vel si publice intersit ut factum aliquod extra dubium ponatur; in ceteris casibus eas interrogare potest.

§ 2. Interrogationes fieri debent a iudice, nisi iure particulari aliter caveatur.


— Inscriptio Cap. I erit « De partium declarationibus ».

— Quoad formulam § 1 recipitur a Consultoribus, leviter mutata, redactio quae proposita fuit ab aliquo organo consultationis. Formula ita erit:

« § 1. Iudex ad veritatem aptius eruendam partes interrogare semper potest, immo debet, ad instantiam partis vel ad probandum factum quod publice interest extra dubium ponи ».

— Quoad § 2, suggestum est ut statuatur hic norma similis can. 205 ubi regulae dantur de examine testium ex parte iudicis.

Consultor quidam proponit ut regulae de interrogatione sint communes sive pro partibus, sive pro testibus sive pro peritis. In praesenti capite de partium declarationibus idcirco retineantur tantum ea quae propria sunt interrogationis partium; quoad cetera autem fieri potest remissio ad regulas de interrogatione testium. Propositio haec placet Consultoribus et ideo cum tali criterio prosequitur recognitio praesentis capituli. Qua de causa can. 171, § 2 supprimitur, cum absorbeatur in canone generaliore quo fiat remissio ad regulas de interrogatione testium.



Can. 172

§ 1. *Pars legitime interrogata debet respondere et veritatem integre fateri, nisi agatur de delicto ab ipsa commisso.*

§ 2. *Quod si illegitime respondere recusaverit vel mendax repertasit, a iudice congrua poena puniatur, praesertim si iusiurandum de veritate dicenda vel de veritate dictorum praestiterit.*

— Consultor quidam crisim movet de clausula « nisi agatur de delicto ab ipsa commisso », quae habetur in § 1. Derogatio ab obligatione respondendi et veritatem fatendi, cum agatur de delicto ab ipsa parte commisso, concedi potest et debet in processu criminali, non autem in processu contentioso.

At alter Consultor censet etiam in praesenti canone illam clausulam opportunam esse, secus in aliquo processu criminali afferri posset probatio ex confessione quam reus fecit in processu contentioso.

Post brevem discussionem decernitur ut norma derogatoria a confessione delicti a se commissi clare ponatur in parte de processu criminali et expungatur e can. 172, § 1 illa clausula. Ideo § 2 canonis 396 (de processu criminali) ita compleri debet: « Accusatus ad confitendum delictum non tenetur nec ipsi iusiurandum deferri potest ».

— Duo Consultores censent § 2 deleri posse, quia in praxi tribunalium fere numquam devenitur ad comminationem poenae quando pars respondere illegitime recusaverit. Quoad peiurium autem, si forte acciderit, provideri poterit vi poenae in iure poenali statutae contra hoc delictum. Propositio omnibus placet.

Can. 173

In casibus, in quibus bonum publicum in causa est, iudex partes interrogandas hortari debet ut iusiurandum de veritate dicenda, aut saltem de veritate dictorum, praestent; in aliis casibus, potest pro sua prudentia.

De hoc canone nonnullae animadversiones factae sunt sive circa facultatem iudicis deferendi iusiurandum partibus, in casibus in quibus bonum publicum in causa est, sive circa obiectum iuramenti an scilicet praestari debeat de veritate dicenda vel de veritate tantum dictorum.

Aliqui Consultores committere vellent iudici munus adhortandi partes ut veritatem fateantur, sine ullo iureiurando; alii censent melius

esse si res discretioni iudicis relinquatur; alii normam rigidiorem velent ut nempe iudex iusiurandum partibus deferat.

Alter Consultor proponit ut iudex iusiurandum deferat, *nisi gravis causa excuset*. Post brevem discussionem omnes concordant cum altero Consultore.

Circa obiectum iurisiurandi praevalet sententia dicendi « iusiurandum de veritate dicenda aut saltem de veritate dictorum », prout est in schemate.

His dictis Consultores communi consilio ita canonem redigunt:

« In casibus, in quibus bonum publicum in causa est, iudex partibus interrogandis iusiurandum de veritate dicenda aut saltem de veritate dictorum deferat, nisi gravis causa aliud suadeat; in aliis casibus potest pro sua prudentia ».

Can. 174

§ 1. Partes, promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, super quibus pars interrogetur.

§ 2. In articulis exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur, quae in cann. 195 et 204-208 de testibus statuuntur.

Can. 175

Ad interrogationibus respondendum partes ipsae coram iudice sistere debent, iis exceptis, de quibus in can. 202, §§ 2-3, et salvo iure particulari.

Circa hos canones Consultores ita decernunt:

— Can. 174, § 1 manet uti est.

— Can. 174, § 2 et can. 175 supprimuntur et loco eorum haec formula generalior redigitur quae erit can. 175: « De partium interrogatione regulae cum proportione serventur quae in cann. 195 et 202-208 de testibus statuuntur ».

Can. 176

Assertio de aliquo facto, scripto vel ore, coram iudice competenti, ab aliqua parte circa ipsam iudicii materiam, sive sponte sive iudice interrogante, contra se peracta, est confessio iudicialis.

Circa hunc canonem nonnullae animadversiones factae sunt quae pertinent ad meram redactionem. Consultoribus placet formula uti est.

Can. 177

Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio iudicialis unius partis relevat ceteras ab onere probandi.

Suggestum est ut huic canoni haec verba addantur: « sed meritum et significatio iuridica assertionis a iudice perpendenda est ».

Consultoribus non placet additio, sive quia partes habent suos advocates, sive quia ipse iudex conscientia est sui muneric.

Can. 178

§ 1. Confessio iudicialis in causis quae respiciunt bonum publicum, confessio extraiudicialis, et partium declarationes quae non sint confessiones aliquam vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adjunctis; item iudicis est aestimare, quid ad factorum probationem erui possit ex recusatione respondendi.

§ 2. At iudicali confessioni in causis quae respiciunt bonum publicum numquam vis plenae probationis tribui potest, nisi alia accendant elementa quae eam omnino corroborent.

Circa hunc canonem Consultor quidam sequentes animadversiones facit:

1) Ratio cur in § 2 iudicali confessioni vis plenae probationis non tribuitur, nisi alia accendant quae praefatam confessionem corroborent, magis valet pro partium declarationibus quae non sint confessiones. Declarationes enim sunt in favorem declarantis, dum confessiones sunt contra confidentem, ideo multo magis urget ut illae declarationes includantur in § 2.

2) Nulla ratio est cur confessio extraiudicialis includatur in § 1, quia, uti supponitur, facta fuit tempore non suspecto.

3) Verba « item iudicis est aestimare ... », quae habentur in fine § 1, melius transferri possunt in can. 172.

His dictis, ipse Consultor proponit ut alia distributio materiae habeatur secundum has formulas:

Can. 172, § 2. Quod si respondere recusaverit iudicis est aestimare quid ad factorum probationem exinde erui possit.

Can. 177: § 1. Confessio iudicialis unius partis, si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, ceteras relevat ab onere probandi.

§ 2. In causis autem quae respiciunt bonum publicum, confessio iudicialis et partium declarationes quae non sint confessiones vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris cause adiunctis, at vis plena probationis ipsis tribui nequit, nisi alia accedant elementa quae eas omnino corroborent.

Can. 178: Extraproceduralis confessio in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus adiunctis, aestimare quanti faciendum sit.

Omnis alii Consultores concordant sive circa animadversiones factas sive circa novam redactionem canonum.

Can. 179

Confessio vel alia quaeviis partis declaratio qualibet vi caret, si constet eam ex errore facti vel ex vi esse prolatam.

— Suggestum est ut addatur in canone confessionem vel declarationem partis vi carere etiam quando constet eam extortam fuisse *ex dolo aut metu gravi*. Propositio placet Consultoribus, tamen mentio doli non videtur necessaria quia de ipso ratio implicite habetur cum dicitur *ex errore facti*.

Aliquis Consultor proponit ut dicatur « ... si constet eam ex errore facti esse prolatam *vel debita careat libertate* », sed propositio aliis non placet.

Formula canonis, approbantibus omnibus, ita completetur: « ... si constet eam ex errore facti esse prolatam, aut vi vel metu gravi extortam ».

CAPUT II DE PROBATIONE PER DOCUMENTA

Can. 180 (CIC 1812)

In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

— Suggestum est ut materia cann. 180-185 disponatur sub art. I qui sit « De natura et fine documentorum ».

Propositio placet Consultoribus, at art. I erit post can. 180.

— Quidam postulaverunt ut detur definitio documenti; Consultores vero non concordant cum definitiones in iure vitandae sint.

— Suggestum est ut in can. 180 dicatur « probatio per instrumenta » loco « per documenta », ita ut sub latiore locutione veniant etiam teniolae magneticae, vel alia huiusmodi instrumenta notas ac vestigia factorum praebentia.

Unus Consultor censet propositionem admitti non posse, quia illa « instrumenta » saepe saepius carent aliquo elemento (ex. gr. subscriptione etc.) quod confert certitudinem documento.

Consultoribus placet ut can. 180 maneat uti est.

Can. 181 (CIC 1813)

§ 1. *Documenta publica ecclesiastica ea sunt quae persona publica, ratione sui muneric in Ecclesia confecit, servatis sollemnitatibus a iure praescriptis.*

§ 2. *Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censemur.*

§ 3. *Cetera documenta sunt privata.*

— Suggestum est ut in § 1 dicatur: « ... ratione et *intra limites* sui muneric ... ». Consultoribus autem placet ita dicere: « ... quae persona publica *in exercitio* sui muneric in Ecclesia ... ».

Can. 182 (CIC 1814)

Nisi lex particularis aliud statuat aut contrarium evidentibus argumentis evincatur, documenta publica genuina praesumuntur, et fidem faciunt de iis, quae directe et principaliter in iis affirmantur.

— Suggestum est ut deleatur clausula initialis « Nisi lex particularis aliud statuat » (placet omnibus).

— Est qui censeat melius determinandum esse sensum verbi « genuina » per verbum « authentica ».

Aliquis Consultor animadvertis locutionem « documenta publica authentica praesumuntur » esse meram tautologiam. Est qui praeferat verbum « vera » loco « genuina ».

Alius Consultor autem proponit ut canon ita redigatur: « Nisi contraris et evidentibus argumentis evincatur, documenta publica fidem

faciunt de iis quae directe et principaliter in iis affirmantur ». Haec formula omnibus placet.

Can. 183 (CIC 1815)

Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad modum causae principalis.

— Suggestum est ut hic canon deleatur, quia superfluuus videtur (placet omnibus).

Can. 184 (CIC 1817)

Documentum privatum, sive agnatum a parte sive recognitum a iudice, eandem probandi vim habet adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab iis habentes, ac confessio extra iudicium facta; adversus extraneos eandem vim habet, quam partium declarationes quae non sint confessiones, ad normam can. 178 § 1.

Can. 185 (CIC 1818)

Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrantur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.

— De cann. 184-185 non factae sunt animadversiones.

Art. 1

DE PRODUCTIONE DOCUMENTORUM ET ACTIONE AD EXHIBENDUM

Can. 186 (CIC 1819-1820)

Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellarium deposita, ut a iudice et ab adversario examinari possint, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.

— Inscriptio huius articuli erit: « Art. 2. De productione documentorum ». Ratio est quia in sequenti can. 187 deletur mentio de actione ad exhibendum, ut infra dicetur.

— Suggestum est ut e can. 186 deleantur ultima verba « exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae », quia leges rite promulgatae non sunt documenta (omnibus placet).

— Unus Consultor tenet integrum canonem 186 supprimi posse, quia obvius est; at alter Consultor censet canonem utilem esse eo vel magis quia in can. 182 suppressa sunt verba « documenta publica genuina praesumuntur ». Alii concordant cum altero Consultore.

Adunatio diei 21 novembris 1978

Can. 187 (novus)

Quae ius civile loci in territorio statuit de actione ad exhibendum, eadem in foro quoque canonico serventur. Potest autem lex particularis normas dare, quae praescripta iuris civilis ad canonici processus necessitates accommodent.

— Quaedam animadversiones factae sunt contra canonizationem legum civilium quae habetur in canone. Etiam nonnulli Consultores sunt contra talem canonizationem.

Aliquis Consultor proponit hanc formulam: « Iudex praecipere potest ut documentum utriusque commune exhibeat in processu ».

Alter Consultor tribuere vellet iudici facultatem praecipiendi ut exhibeantur in processu etiam documenta quae apud alios sint; sed omnes alii approbant formulam a Consultore propositam.

Can. 188 (CIC 1823)

§ 1. Nemo exhibere tenetur documenta etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam can. 190, § 2, n. 2 aut sine periculo violationis secreti servandi.

§ 2. Attamen si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit, et in exemplari sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem exhibeat.

— Suggestum est ut dicatur initio: « Nemo exhibere tenetur *integrum* documentum, etsi commune ... ».

Propositio non placet Consultoribus, quia per talem formulam datur praecepsum exhibendi *semper* aliquam saltem partem documenti, quod non est mens Consultorum.

— Aliquis Consultor proponit suppressionem verborum « quam produci intersit », quia superflua videntur (placet omnibus).

— Alter Consultor proponit ut clarior reddatur redactio § 2 hoc

modo: « ... describi possit, et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem producantur » (placet omnibus).

CAPUT III DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS

Can. 189 (CIC 1754)

Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur nisi aliud iure caveatur, sub iudicis moderatione.

— De sententia cuiusdam Consultoris hic canon deleri potest quia superfluus, contradicente vero altero Consultore, cui canon videtur necessarius hac de causa: cum facta sit remissio ad ius civile circa normas de contractibus, bene est ut ius canonicum decernet probationem per testes semper admitti, etsi aliquod ius civile probationem per testes limitet. Animadversio haec omnibus placet.

— Aliquis Consultor proponit ut deleantur verba « nisi aliud iure caveatur » (placet omnibus).

Can. 190 (CIC 1755)

§ 1. Testes iudici legitime interroganti veritatem fateri debent.

§ 2. Salvo praescripto can. 192, § 2, n. 2, ab obligatione respondendi eximuntur:

1) *parochi aliisque sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;*

2) *qui ex testificatione sua sibi aut coniugi aut proximis consanguineis vel affinibus infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.*

§ 3. Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniri possunt ad normam iuris.

— Animadversiones quaedam factae sunt circa § 2:

a) Ut in n. 1 dicatur initio « Ministri Ecclesiae ... ».

Etiam unus Consultor praefert « *Ministri Ecclesiae ...* », quia alii cubi adhibentur laici ad investigationes matrimoniales faciendas. Sed alii Consultores notant istis laicis provideri per verba « *aliique qui ad secretum officii ... tenentur* ».

— Suggestum est etiam ut dicatur « *Sacerdotes omnes ...* » loco « *parochi aliique sacerdotes ...* ». Consultoribus potius placet ut dicatur « *clericci, quot attinet ...* ».

b) Ut admittantur casus in quibus derogari possit obligationi servandi secretum officii, quando iura partium hoc modo protegi possunt. Propositio Consultoribus non placet quia difficulter in praxim deduci posset et quia talis norma esset periculosa.

c) Ut in n. 2 determinetur ambitum graduum consanguinitatis, loco genericae locutionis « *proximis consanguineis* ». Haec suggestio placet uni tantum Consultori, contradictibus aliis Consultoribus qui volunt rem arbitrio iudicis relinquere.

d) Consultor quidam proponit ut in n. 2 deleatur verbum « *valde* » (placet omnibus).

— Relator proponit ut, attenta suppressione can. 172, § 2, ob easdem rationes deleatur § 3 (placet 6, non placet 3).

Suppressione facta huius § 3, aliquis Consultor extendere vellet facultatem iudicis, de qua in can. 75, § 2, puniendi non solum eos « *qui reverentiae et oboedientiae tribunali debitae graviter defuerint* », sed etiam testes falsum affirmantes. Sed haec propositio non placet aliis Consultoribus.

Art. 1

QUI TESTES ESSE POSSINT

Can. 191 (CIC 1756)

Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Can. 192 (CIC 1757)

§ 1. Non admittantur ad testimonium ferendum impuberis et mente debiles; audiri tamen poterunt ex decreto iudicis quo id expedire declaretur.

§ 2. Incapaces habentur:

1) *qui partes sunt in causa, aut partium nomine in iudicio consistunt, iudex eiusve assistentes, advocatus aliquis qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;*

2) *sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut iudicium quidem veritatis recipi possunt.*

— Nonnulli suggesterunt ut in § 2 dicatur « inhabiles habentur », quia verbum « inhabilis » magis proprie exprimit prohibitionem iuridicam.

Consultores tenent etiam verbum « incapaces » esse proprium, quia denotat incapacitatem iuridicam, potius quam idoneitatem physicam vel moralem.

— Aliquis Consultor vellet « partes in causa » non recensire in hoc canone, sive quia adest tendentia in iuribus civilibus audiendi partes uti testes, sive quia in can. 177, § 2 dictum est declarationes partium vim probandi habere posse.

Etiam alter Consultor supprimere vellet mentionem partium in causa hoc in canone, quia quae pertinent ad partes iam fuse dicta sunt in cap. I « De partium declarationibus ». Deinde habetur aliqua discussio, sed cum alii Consultores non consentiant, propositio haec non recipitur.

— Consultor quidam animadvertisit neminem, de communi sententia theologorum, solvi posse a vinculo sigilli sacramentalis confessionis, ideo proponit ut dicatur « etsi poenitens eorum manifestationem petierit » loco « etsi a vinculo sigilli soluti sint ». Propositio placet omnibus.

Can. 193 (CIC 1758)

In causis quae respiciunt bonum publicum vel statum personarum admittuntur tamquam testes etiam partium coniuges eorumque consanguinei et affines; in aliis causis admitti possunt ad praescriptum iudicis.

— Duo Consultores censem hunc canonem deleri debere. Nam coniuges eorumque consanguinei in nostro schemate non habentur ut incapaces ad testimonium ferendum (cf. CIC, can. 1757, § 3, n. 3), ideoque deest ratio sustinendi hunc canonem.

Fit suffragatio an placeat delere canonem: placet 7, non placet 2.

Art. 2

DE INDUCENDIS ET EXCLUDENDIS TESTIBUS

Can. 194 (CIC 1759)

Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis examinetur.

— De hoc canone non factae sunt animadversiones.

— De sententia cuiusdam organi consultationis in praesenti art. 2 deest norma qua tribuitur iudici et promotori iustitiae facultas inducendi testes. Consultores respondent iudicem habere talem facultatem deduci posse ex can. 53 et 157; quod etiam promotor id facere possit patet ex eo quod ipse est pars in causa.

Can. 195 (CIC 1761)

§ 1. *Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunalii indicentur; praeterea exhibeantur articuli argumentorum super quibus petitur testium interrogatio.*

§ 2. *Si ne intra diem quidem, a iudice praestitutum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.*

— Proponente aliquo organo consultationis Consultores ita canonem redigunt:

« § 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunalii indicentur.

§ 2. Exhibeantur, intra terminum a iudice praestitutum, articuli argumentorum super quibus petitur testium interrogatio; alioquin petatio censeatur deserta ».

Can. 196 (CIC 1762)

Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « Iudex potest et debet nimiam ... », sed Relator proponit: « Iudicis est nimiam multitudinem testium refrenare ».

Fit suffragatio an placeat propositio Relatoris: placet 6, non placet 3.

Can. 197 (CIC 1763)

Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testimoniorum publicationem.

— Nonnullis minus placuit quod partes sibi invicem nota faciant testium nomina et proposuerunt ut communicatio testium partibus fiat ex officio a tribunali.

Aliquis Consultor proponit ut quaestio non dirimatur a Codice, sed dicatur tantum quod nomina testium communicari debent cum partibus. Canon ita redigi potest: « Antequam testes examinentur, eorum nomina cum partibus communicentur; quod si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testimoniorum publicationem fiat ». Propositio haec omnibus placet.

Can. 198 (CIC 1764)

§ 1. *Praeter testes de quibus in can 192, alii quoque excludi possunt, parte postulante, si iusta exclusionis causa demonstretur.*

§ 2. *Discussio autem de teste excludendo, si forte sit facienda, fiat ante conclusionem in causa, nisi lex particularis aliud caveat.*

— In recognoscenda § 1 huius canonis ratio habetur etiam propositionis ab aliquo organo consultationis factae suppressi scilicet art. 5 de testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione. Cum Consultores accedant illi propositioni (uti infra videbitur), considerari hic debet fuse quaestio de reprobatione testis, de qua sermo fit sive in can. 198 § 1, sive in can. 215, n. 1.

Duo Consultores proponunt ut reprobatio testis fieri tantum possit ante ipsius excussionem; etiam ali Consulentes concordant. Consultores itaque communi consilio ita § 1 redigunt: « Fermo praescripto can. 192, pars petere potest ut testis excludatur, si iusta exclusionis causa demonstretur ante testis excussionem ».

— Quoad § 2 Relator proponit ut deleatur, quia res est evidens. Propositio placet aliis Consultoribus, uno excepto.

Can. 199 (CIC 1765)

Citatio testis fit decreto iudicis eaque testibus intimatur ad normam cann. 145-150, salvo tamen iure particulari.

— Ex suggestione alicuius organi consultationis formula canonis ita mutatur: « *Citatio testis fit decreto iudicis testi legitime notificato* ».

Can. 200 (CIC 1766)

§ 1. *Testis rite citatus pareat aut causam suaे absentiae iudici notam faciat.*

§ 2. *Si testis sine legitima causa non comparet, aut, etsi compa- ruerit, renuerit respondere, iudex rem deferat Episcopo.*

— Perplures suggesterunt ut § 2 deleatur, imo de sententia aliquorum totus canon inutilis est. Consultoribus placet delere § 2.

Adunatio diei 22 novembris 1978

Art. 3

DE IUREIURANDO TESTIUM

Can. 201 (CIC 1767)

§ 1. *Iudex testi in mentem revocet gravem obligationem dicendi totam et solam veritatem.*

§ 2. *Iudex testi deferat iuramentum ante excussionem: si testis renuat illud emittere, iniuratus audiatur.*

— De sententia alicuius organi consultationis testibus proponi debet iuramentum de veritate tantum dictorum.

Consultores praeferunt normam non rigidam, ita ut testibus proponi possit iuramentum vel de veritate dicenda vel saltem de veritate dictorum; ideoque formulam § 2 ita mutant: « *Iudex testi deferat iuramentum iuxta can. 173: quod si testis renuat illud emittere, iniuratus audiatur* ».

— Suggestum est ut can. 201 ponatur sub art. 4 « *De testium examine* ». Propositio placet Consultoribus, qui decernunt ut ponatur post can. 205.

Art. 4

DE TESTIUM EXAMINE

Can. 202 (CIC 1770)

§ 1. *Testes sunt examini subiciendi in ipsa tribunalis sede, nisi aliud iudici videatur.*

§ 2. S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Episcopi et ii, qui, suae civitatis iure, simili favore gaudent, audiantur in loco ab ipsis selecto.

§ 3. Iudex decernat ubi audiendi sint ii, quibus propter distantiam, morbum aliudve impedimentum impossibile vel difficile sit tribunalis sedem adire, servato etiam, si casus ferat, praescripto can. 17.

— Hic articulus « De testium examine » fit art. 3.

— Suggestum est ut in § 2 dicatur « ... audiri possunt in loco ab ipsis selecto ». Propositio non placet Consultoribus, ut res non pendeat ab arbitrio iudicis.

— Aliquis Consultor proponit ut addatur norma qua edicatur iudiciale depositionem, ob gravem causam, recipi posse per telephonum, dummodo iudex vel notarius de eiusdem depositionis authenticitate fidem faciant.

Propositio haec non placet aliis Consultoribus quia talis norma occasionem praeberet abusibus et dubia haberi possent de identitate testis, de eius libertate, etc. Ceterum huiusmodi praxis recipiendi depositionem per telephonum non reprobatur in praesenti canone 202.

Can. 203 (CIC 1771)

Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex, praesertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuerit. Assistere tamen possunt earum advocati vel procuratores, nisi iudex propter rerum et personarum adjuncta censuerit secreto esse procedendum.

— Perplures petierunt ut numquam partes assistant examini testium. Cum rationes allatae pertineant potius ad causas matrimoniales, Consultores decernunt can. 203 servare prout est, cum mente tamen introducendi in parte de causis matrimonialibus normam contra assistantiam partium examini testium.

Can. 204 (CIC 1772)

§ 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.

§ 2. Si testes inter se aut cum parte in re gravi dissentiant, iudex discrepantes inter se conferre seu comparare potest, remotis, quantum possibile erit, dissidiis et scandalo.

— Suggestum est ut in § 1 addatur « nisi iudex aliter censeat ». Propositio non placet Consultoribus; nisi enim testes seorsim singuli

examinentur, probabilius sub influxu depositionis aliorum suam depositionem facient.

— Nonnullis reprimanda videtur in § 2 clausula « si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetat via » (cf. CIC can. 1772). Propositio non placet Consultoribus, quia inefficax clausula illa videtur.

Can. 205 (CIC 1773)

Nisi aliter caveat lex particularis, examen testis fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Quapropter partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi, vel advocati qui examini intersint si alias interrogations testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponant, ut eas ipse deferat.

— De sententia alicuius organi consultationis, clausula initialis « nisi aliter caveat lex particularis » intellegi potest etiam de notario, ita ut lex particularis statuere posset notarii praesentiam non esse necessariam. Animadversio placet Consultoribus, qui ponunt illam clausulam in fine canonis. Hoc modo satis fit etiam suggestioni aliorum, secundum quos interrogationes partium ipsi testi deferri possunt, iuxta praxim alicubi vigentem.

Can. 206 (CIC 1774)

Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adiunctis, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogations quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quomodo ac praesertim quo definito tempore, ea quae asserit cognita habeat.

— Ex suggestione facta ab aliquo Consultore, formula canonis ita redigitur: « Iudex imprimis testis identitatem comprobet; exquirat quae nam sit ipsi cum partibus necessitudo et, cum ipsi interrogationes specificas circa causam defert, sciscitet quoque fontes eius scientiae et quo definito tempore ea, quae asserit, cognoverit ».

Can. 207 (CIC 1775)

Interrogationes breves sunt, interrogandi intellegentiae accommodatae, vulgari sermone expressae, non plura simul complectentes, non

captiosae, non subdolae, non suggestentes responcionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.

— Consultoribus placet delere verba « vulgari sermone expressae », quae superflua videntur.

Can. 208 (CIC 1776)

§ 1. *Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.*

§ 2. *Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri censeat.*

Can. 209 (CIC 1777)

Testes ore testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotaciones, quas secum attulerunt, poterunt consulere.

— De his canonibus non factae sunt animadversiones.

Can. 210 (CIC 1778)

Responsio statim redigenda est scripto ab actuario, et referre debet ipsa editi testimonii verba, saltem quod attinet ad ea quae iudicii materiam directe attingunt.

— Dici debet « a notario » loco « ab actuario », ratione uniformitatis terminologicae.

— Suggestum est ut aliquid hic dicatur de usu machinae magnetophonicae ad interrogationes et responsiones imprimendas. Propositio placet Consultoribus, qui ideo volunt hic anticipare normam can. 326, § 2, scilicet: « Admitti potest usus machinae magnetophonicae, dummodo dein responsiones scripto consignentur et subscribantur a deponentibus ».

Can. 211 (CIC 1779)

Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis et generatim de omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.

— Dici debet « notarius » loco « actuarius », ratione uniformitatis terminologicae.

Can. 212 (CIC 1780)

§ 1. In fine examinis testi legi debent quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

— Ratione clarioris intellegentiae textus ita mutatur: « ... quae notarius de eius depositione scripto redegit, data eidem etc. ».

— Suggestum est ut hic addatur alia norma qua praecipiatur iudici ut in actis inserat suam aestimationem testimonii secundum elementa quae in can. 219 continentur et exprimat ea omnia quae pro aliis, in ceteris instantiis, utilia esse possint. Relator, aliis Consultoribus consentientibus, censem hanc propositionem admitti non posse, quia animi aliorum iudicium pertractari possent a considerationibus forte subiectivis.

Can. 213 (CIC 1781)

Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Adunatio diei 23 novembris 1978

Art. 5

DE TESTIMONIORUM EVULGATIONE EORUMQUE REPROBATIONE

Can. 214 (CIC 1782)

§ 1. Si partes aut earum advocati vel procuratores examini non interfuerint, testimonia poterunt evulgari statim post absolutum omnium testium examen, vel quando alia quoque probationum genera absoluta fuerint.

§ 2. Praesentia partium vel earum advocatorum examini testis aequivalet evulgationi.

Can. 215 (CIC 1783)

Post testificationum evulgationem:

- 1) cessat facultas excludendi testis personam, nisi a parte demonstretur defectum testis antea sibi notum non fuisse;
- 2) sed est ius excludendi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum obiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testimonia ipsa, cum haec arguuntur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

Can. 216 (CIC 1784-1785)

Exclusionem iudex decreto expeditissime aut admittat, aut, si futili initiatur fundamento vel ad retardandum iudicium facta sit, reiciat.

Can. 217 (CIC 1786)

§ 1. Evulgatis ad normam can. 214 testimoniis, iudex potest adhuc eosdem testes vel alios vocare vel alias probationes, quae antea non fuerint petitae, disponere tantummodo:

- 1) in causis, in quibus agitur de solo privato partium bono, si omnes partes consentiant;
- 2) in ceteris causis, auditis partibus et dummodo gravis(sima) extet ratio et quodlibet fraudis vel subornationis periculum removeatur;
- 3) in omnibus causis, quoties veri simile est, ne, nisi probatio nova admittatur, sententia iniusta futura sit propter rationes, de quibus in can. 299, § 2, nn. 1, 2, 3.

§ 2. Potest autem iudex iubere vel admittere ut exhibeat docum entum, quod forte antea sine culpa eius cuius interest, exhiberi non potuit.

— De sententia alicuius organi Consultationis evulgatio testimoniiorum, de qua in his canonibus, ante publicationem actorum facta, est fere superflua, quia etiam quando processus publicatur facultas datur partibus petendi ut novae probationes admittantur (cf. can. 259, § 2 schematis). Proponitur ergo ut art. 5 « De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione » supprimatur et si quae sunt normae quae servari videntur, transferri ipsae possunt sub Tit. « De processus publicatione ».

Propositio placet Consultoribus, qui ideo ita de praedictis canonibus sentiunt:

- Can. 214: deleatur.
- Can. 215: de § 1 ratio habita est in can. 198; § 2 deleatur.
- Can. 216: deleatur.
- Can. 217: transferri debet, mutatis mutandis, sub Tit. « De processus publicatione ».

Art. 6

DE INDEMNITATE TESTIUM

Can. 218 (CIC 1787-1788)

§ 1. *Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.*

§ 2. *Iudicis erit, audita parte et teste, et servata lege particulari vel, si haec desit, attentis normis in foro civili vigentibus, taxare indemnitatem et expensas testi solvendas.*

— Canon ita simpliciore formula redigitur: « Testibus, iuxta aequam iudicis taxationem, refundi debent tum expensae, quas fecerint, tum lucrum quod amiserint, testificationis reddenda causa ».

— Suggestente aliquo Consultore hic canon ponitur sub art. 3, tamquam can. 213 bis, et ideo art. 6 supprimitur.

Art. 7

DE TESTIMONIORUM FIDE

Can. 219 (CIC 1789)

In aestimandis testimoniis iudex, attentis principiis psychologiae iudicariae et requisitis, si opus sit, testimonialibus litteris, ante oculos habeat:

- 1) *quae condicio sit personae, quaeve honestas;*
- 2) *utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de sua opinione, de fama, aut de auditu ab aliis;*

3) *utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus vel vacillans;*

4) *utrum testimonii contestes habeat, aliisve probationis elementis confirmetur necne.*

— Iste articulus « De testimoniorum fide » erit art. 4.

— Unus Consultor censem totum Articulum supprimi posse, quia continet materiam quae pertinet ad manualia pro scholis; quod si aliquid specificum adsit in his canonibus, quod servari debeat, inseri potius deberet in can. 266, ubi de certitudine morali iudicis et de modo illam assequendi sermo fit.

Alii Consultores censem tales canones utiles esse pro praxi tribunalia uti ex experientia constat.

— Nonnulli suggererunt ut in can. 219 deleantur verba « attentis principiis psychologiae iudicariae », quae superflua videntur, cum haec pertineant ad formationem professionalem ipsius iudicis.

Propositio placet omnibus Consultoribus, uno excepto qui momentum psychologiae iudicariae extollit, ita ut utilis ipsi videatur peculiaris mentio huius qualitatis iudicis.

Can. 220 (CIC 1790)

Si testes inter se discrepant, iudex perpendat utrum testimonia inter se adversentur, an sint dumtaxat diversa vel mutuo adiuventur et compleantur.

— Suggestum est ut canon deleatur, quia superfluus (placet omnibus).

Can. 221 (CIC 1791)

Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi aliud iure caveatur aut agatur de teste qualificato qui deponat de rebus ex officio gestis, aut rerum et personarum adiuncta aliud suadeant.

— Consultor quidam proponit ut dicatur « ... plenam fidem facere non potest, nisi ... » (omnibus placet).

— Suggestum est ut testis qualificatus deponat *sub iuramento*. Unus Consultor favet huic propositioni, contradicentibus vero omnibus aliis Consultoribus.

CAPUT IV
DE PERITIS

Can. 222 (CIC 1792)

Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum, praecepsis artis vel scientiae innixum, requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 223 (CIC 1793)

§ 1. Iudicis est peritos designare vel approbare.

§ 2. Designatio peritorum fit a iudice, auditis vel proponentibus partibus.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.

— Consultoribus placet delere § 3, quae superflua videtur.

— Ex suggestione quorumdam organorum consultationis, Consultoribus placet ita canonem redigere: « Iudicis est peritos designare vel approbare, auditis vel proponentibus partibus, aut, si casus ferat, relations ab aliis peritis iam factas assumere ».

Can. 224 (CIC 1795)

§ 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur qui competenti auctoritate idonei fuerint comprobati.

§ 2. Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 192, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt.

Can. 225 (CIC 1796)

§ 1. Eadem ob causas quibus testes, possunt et periti recusari.

§ 2. Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.

— De sententia Consultorum, cann. 224-225 plura elementa su-

perflua continere videntur; quare loco eorum, sequens formula redigitur et approbatur: « Easdem ob causas quibus testes, etiam periti excluduntur aut recusari possunt ».

Can. 226 (CIC 1797)

§ 1. *Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi vel formali declaratione de munere fideliter implendo.*

§ 2. *Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi vel declarationi periti, sed etiam executioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat.*

— Suggestum est ut canon deleatur.

Propositio placet Consultoribus, quia § 1 superflua videtur et de iuribus partium, de quibus in § 2, ratio habebitur in aliquo canone novo, in fine capitum ponendo, ubi sermo erit de peritis quos partes assumere possunt ad suas rationes tuendas.

Can. 227 (CIC 1799-1800)

§ 1. *Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.*

§ 2. *Perito remittenda sunt acta causae aliaque documenta et subsidia quibus egere potest ad suum munus rite et fideliter exsequendum.*

§ 3. *Iudex, ipso perito auditio, tempus praefinitum intra quod examen perficiendum est et relatio proferenda.*

— Consultoribus placet delere in § 1 verbum « *omnia* ».

— Aliquis Consultor addere vellet in § 3 « ... et relatio *scripto* proferenda ». Propositio autem non placet.

Can. 228 (CIC 1798)

Post acceptationem muneris, si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa executionem defugiant, tenentur damnorum.

— Consultoribus placet delere hunc canonem, quia est principium clarum in iure omnes teneri ad reparationem damnorum quae aliis intulerunt.

Can. 229 (CIC 1801)

§ 1. *Peritus, praesertim si relationem suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.*

§ 2. *Periti debent indicare perspicue quibus documentis vel aliis idoneis modis certiores facti sint de personarum vel rerum vel locorum identitate, et qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis conclusiones ab ipsis prolatae nitantur.*

— Consultoribus placet delere in § 1 verba « praesertim si relationem suam in scriptis protulerit », quae inutilia censentur.

— In fine § 2 dici debet: « ... argumentis suae conclusiones nitantur ».

Can. 230 (CIC 1802)

Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam confiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.

— Consultor quidam proponit ut deleantur verba « lege non contradicente », quia reapse talis casus non datur et, si forte daretur, valeret principium « genus per speciem derogatur ». Propositio haec omnibus placet.

— Consultoribus placet cann. 229 et 230 unire, disponendo tamen materiam hoc modo:

§ 1: Can. 230.

§ 2: Can. 229 § 2.

§ 3: Can. 229 § 1.

Adunatio diei 24 novembris 1978*Can. 231 (CIC 1803)*

§ 1. *Si periti inter se discrepant, licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere, aut novam peritiam a prioribus peritis communi consilio conficiendam decernere.*

§ 2. Quoties periti post designationem in suspicionem inciderint, vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint, eadem norma servanda est a iudice.

— Duo Consultores censem canonem deleri posse, quia facultas iudicis in hac materia nullibi in Codice coarctatur (placet omnibus).

Can. 232 (CIC 1804)

§ 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 233 (CIC 1805)

Peritorum expensas et honoraria iudex ex bono et aequo taxare debet, servata lege particulari vel, si haec desit, recepta loci consuetudine prae oculis habita.

— Consultores ita formulam canonis mutant: « Peritis solvenda sunt et expensae et honoraria a iudice ex bono et aequo determinanda, servato iure particulari ».

* * *

— Uti supra dictum est, in fine huius capituli « de peritis » poni debet novus canon quo partibus detur facultas designandi peritos privatos.

Habetur discussio inter Consultores de amplitudine muneris talibus peritis tribuendi et deinde suffragationi subiciuntur singulae propositiones circa hanc rem:

— an placeat ut periti acta causae inspicere possint: placet 7, non placet 2;

— an placeat ut executioni peritia ex officio factae interesse possint: placet 7, non placet 2;

— an placeat ut peritorum interrogationi interesse possint: placet 1, non placet 8;

— an relationem de qua in can. 229 inspicere possint: placet 2, non placet 7.

Suffragatio item fit an placeat tales peritos a partibus designatos vocare « peritos *privatos* »: placet 6, non placet 3.

Hic dictis, sequens formula approbatur:

Can. 233 bis: « § 1. Partes possunt peritos privatos, a iudice probandos, designare.

§ 2. Hi, si iudex admittat, possunt acta causae, quatenus opus sit, inspicere, peritiae exsecutioni interesse; semper autem possunt suam relationem exhibere ».

CAPUT V

DE ACCESSU ET DE RECOGNITIONE IUDICIALI

Can. 234 (CIC 1806)

Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

— Suggestum est ut totum Caput de accessu et de recognitione iudiciali deleatur et fiat remissio circa hanc materiam ad ius civile.

Propositio non placet Consultoribus.

— Consultor quidam proponit ut accessum, de quo in can. 234, non restringatur ad locum controversiae vel ad rem controversam. Propositio placet Consultoribus, ideo canon ita mutatur: « Si ad definitionem causae iudex opportunum duxerit ad aliquem locum accedere, vel aliquam rem inspicere, decreto id praestituat ... ».

Can. 235 (CIC 1809)

Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudicali recognitioni intersint.

— Aliquis Consultor proponit ut canon deleatur utpote superfluus, quia, ad normam canonis praecedentis, est iudex qui accessum praestuere debet, et ideo ipsi competit omnia ordinare ita ut incommoda vitentur. Propositio omnibus placet.

Can. 236 (CIC 1810)

Iudex testes, vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudiciali accessu examini subiicere, si id expedire videatur ad pleniorum probationem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit. Potest autem iudex etiam peritos adhibere.

— Consultor quidam proponit ut canon deleatur, quia superfluous videtur cum iudex facultatem habeat audiendi testes ubi ipse vult (placet omnibus).

Can. 237 (CIC 1811)

§ 1. Notarius diligenter curet ut constet ex actis qua die et hora recognitio facta sit, quae personae intefuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.

§ 2. Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscrivant.

— Duo Consultores vellent canonem delere, stante can. 78 quo praecipitur ut acta iudicialia scripto redacta sint. Aliis Consultoribus suggestio non placet. Formula tamen canonis ita mutatur: « Peractae recognitionis instrumentum conficiatur ».

Can. 238 (novus)

Potest autem lex particularis normas huius capituli completere, attentis etiam praescriptis iuris civilis.

— Suggestum est ut canon deleatur (placet omnibus).

CAPUT VI
DE PRAESUMPTIONIBUS

Can. 239 (CIC 1825)

§ 1. Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.

§ 2. Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.

— Suggestum est ut cap. VI de praesumptionibus supprimatur, quia canones huius capituli sunt doctrinales.

Consultores non idem sentiunt, quia cann. 241-242 aliquas normas continent.

— Unus Consultor item censet totum caput supprimi posse, cum ad praesumptiones quod attinet sufficere videtur mentio quae habetur in can. 167 (« non indigent probatione quae ab ipsa lege praesumuntur »). Sed aliis Consultoribus propositio non placet.

— Circa can. 239, suggestum est ut deleatur cum meram definitionem contineat. Huic suggestioni accedunt duo Consultores; omnes alii vero volunt definitionem hanc retinere, attenta eius lucida formulatione quae ad claritatem confert. Ipsi Consultoribus vero placet § 2 delere, cum a can. 298 schematis suppressum sit unicum vestigium praesumptionis iuris et de iure, quae in can. 1904 CIC exstebat.

Fit suffragatio an placeat delere § 2: placet 7, non placet 1, se abstinet 1.

Can. 240 (CIC 1826)

Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.

— Suppressa distinctione inter praesumptionem iuris et iuris et de iure, deficit ratio can. 240. Nam si servaretur canon, eius formula ita legi deberet: « quaevis praesumptio cedit veritati, si probetur ». Quod est omnino obvium.

Can. 241 (CIC 1827)

Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam.

Can. 242 (CIC 1828)

Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.

— De cann. 241-242 non factae sunt animadversiones.

TITULUS V
DE CAUSIS INCIDENTIBUS

Can. 243 (CIC 1837)

Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

— Nonnulli animadverterunt verbum « saltem » delendum esse, stante novo can. 158, quo instantiae initium fit citatione (omnibus placet).

— Consultor quidam vellet in hoc canone recensire tamquam causas incidentes etiam illas causas praeliminares, uti recusatio iudicis, reiectio libelli etc., quae naturam causarum incidentium induunt. Alii Consultores, etsi admittant illas quoque causas esse incidentes, praeferunt non mutare systema, eo vel magis quod pro illis causis peculiaris procedura statuitur.

— Relator proponit ut deleantur verba « aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore », quia et ipsi sunt partes (omnibus placet).

— Aliquis Consultor animadvertisit etiam iudicem proponere posse aliquam quaestionem incidentem; proponit ergo ut formula ita generaliori modo redigatur: « Causa incidens habetur quoties, incepto per citationem iudicio, quaestio proponitur quae ... » (omnibus placet).

Can. 244 (CIC 1838)

Causa incidens proponitur scripto vel ore, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, coram iudice competenti ad causam principalem definiendam.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 245 (CIC 1839)

§ 1. *Iudex, recepta petitione et auditis partibus, expeditissime decernat utrum proposita incidens quaestio fundamentum habere videatur et nexus cum principali iudicio, an vero sit in limine reicienda;*

et, si eam admittat, utrum talis sit gravitatis, ut debeat solvi per sententiam interlocutoriam an per decretum.

§ 2. *Si vero iudicet quaestionem incidentem non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat ut de ea ratio habeatur die definitionis causae principalis.*

— De sententia quorundam organorum consultationis expedire videtur ut declaretur in canone etiam sententiam interlocutoriam vel decretum de merito esse inappellabilia.

Consultores censem talem declarationem esse superfluam quia effectus qui desiderantur iam habentur in canone vi verbi « expeditissime ».

— Suggestum est ut in fine § 2 ita dicatur: « ... decernat ut de ea una cum causa principali decidatur ».

Propositio non placet Consultoribus. Nam fieri potest quod ratio causae incidentalis interim cessaverit et nihil sit de ea decidendum.

Can. 246 (CIC 1840)

§ 1. *Si quaestio incidens solvi debeat per sententiam, serventur normae de processu summario.*

§ 2. *Si vero solvi debeat per decretum, tribunal potest rem committere auditori vel praesidi.*

— Est qui censeat causas incidentales aliquando ita difficiles esse ut requiratur processus ordinarius.

Aliquis Consultor censem processum summarium non expedire, ne fiat transitus a processu scripto (processus contentiosus ordinarius) ad processum oralem (processus contentiosus summarius).

Omnes alii Consultores autem praeferunt ut canon maneat uti est, ut nempe serventur normae de processu summario quando quaestio incidens solvi debet per sententiam.

Can. 247 (CIC 1841)

Antequam finiatur causa principalis iudex vel tribunal potest decre- tum vel sententiam interlocutoriam, iusta intercedente ratione, revocare aut reformare, sive ad partis instantiam, sive ex officio, auditis partibus et tributa iisdem facultate proprias allegationes exhibendi.

— Aliquis Consultor proponit ut deleantur ultima verba « et tributa iisdem facultate proprias allegationes exhibendi », quae superflua videntur attentis verbis « auditis partibus » (omnibus placet).

Adunatio diei 25 novembris 1978

Art. 1

DE PARTIBUS NON COMPARENTIBUS

Can. 248 (CIC 1842-1843-1844)

§ 1. *Si pars conventa citata non comparuerit nec idoneam absente excusationem attulerit, iudex eam a iudicio absentem declareret et decernat ut causa, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem procedat.*

§ 2. *Antequam decretum, de quo in § 1, feratur, debet, etiam per novam citationem si opus fuerit, constare citationem, legitime factam, ad partem conventam tempore utili pervenisse.*

— Suggestum est ut in § 2 deleantur verba « si opus fuerit », ut semper nova citatio fiat, antequam pars declaretur absens. Consultoribus propositio non placet, quia neglegentia partis conventae nocere non debet parti actrici.

Can. 249 (CIC 1846-1847)

§ 1. *Si pars conventa dein in iudicio se sistat ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne de industria in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.*

§ 2. *Etsi non comparuerit ante causae definitionem, impugnationibus uti potest adversus sententiam; quod si probet se legitimo impedimento fuisse detentam, quod sine sua culpa antea demonstrare non potuerit, querela nullitatis sanabilis uti potest.*

— De sententia alicuius organi consultationis, norma § 1 praebet parti absenti conditionem favorabiliorem; ne id fiat, dici deberet: « ... si quas afferat, admittantur iuxta periodum in qua inveniatur processus; ... ».

Consultoribus placet ratio huius suggestionis; formula autem ita mutatur: « ... conclusiones probationesque afferre potest, firmo praescripto can. 259; caveat ... ».

— Nonnulli proposuerunt ut in § 2 dicatur « restitutio in integrum »

loco « querela nullitatis ». Tres Consultores accedunt huic propositioni, ut vitetur querela nullitatis, quae parum confert ordini publico iudiciorum. Alii duo Consultores autem censem restitucionem in integrum in casu esse favorem nimium et proponunt ut concedatur potius restitutio terminorum ad appellandum (cf. can. 1847 CIC).

Post brevem discussionem, praevalet sententia concedendi querelam nullitatis. An autem talis nullitas sit sanabilis vel insanabilis dici non debet in praesenti canone, sed dicetur in cann. 277 et 279 ubi decernitur quandonam sententia vitio nullitatis sanabilis vel insanabilis laborat.

Fit suffragatio an placeat haec solutio quaestionis: placet 6, non placet 3.

Can. 250 (CIC 1849-1850)

Si die et hora ad litis contestationem praestitutis actor neque comparuerit neque idoneam excusationem attulerit:

- 1) *iudex eum citet iterum;*
- 2) *si actor novae citationi non paruerit, praesumitur instantiae renuntiassse ad normam cann. 165-166;*
- 3) *quodsi postea in processum intervenire velit, servetur can. 249.*

— Suggestum est ut n. 2 ita mutetur: « Si actor novae citationi non paruerit, pars conventa eligere potest ut instantia declaretur deserta, vel ut sequatur processus usque ad sententiam definitivam, quae actori notificanda erit ».

Consultores censem hanc clarificationem non esse necessariam, quia haec omnia subintelleguntur ex remissione ad cann. 165-166.

Can. 251 (CIC 1851)

§ 1. Pars absens a iudicio, sive actor sive conventus, qui iustum impedimentum non comprobaverit, tenetur obligatione tum solvendi litis expensas, quae ob suam absentiam factae sunt, tum etiam, si opus sit, indemnitatem alteri parti praestandi.

§ 2. Si tum actor tum reus fuerint absentes a iudicio, ipsi obligatione expensas litis solvendi tenentur in solidum.

— Dici debet « pars conventa » loco « conventus » et loco « reus ».

Art. 2

DE INTERVENTU TERTII IN CAUSA

Can. 252 (CIC 1852)

§ 1. *Is cuius interest admitti potest ad interveniendum in causa, in qualibet litis instantia, sive ut pars quae proprium ius defendit, sive accessorie ad aliquem litigantem adiuvandum.*

§ 2. *Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter suum ius interveniendi demonstret.*

§ 3. *Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.*

— In § 1 verba « sive ut pars ... sive accessorie ... » non aderant in correspondenti can. 1852 CIC. De sententia alicuius organi consultationis, oporteret simul recensire diversos effectus et alium modum procedendi quae ex his additis verbis implicantur.

Consultores censem nihil esse addendum, quia qui interveniunt ut tertii in causa consortes eiusdem litis fiunt.

Can. 253 (CIC 1853)

Si tertii interventus videatur necessarius, iudex, auditis partibus, debet tertium in iudicium vocare.

— Consultores ita formulam canonis mutant: « Tertium, cuius interventus videtur necessarius, iudex, auditis partibus, debet in iudicium vocare ».

Art. 3

DE ATTENTATIS LITE PENDENTE

Can. 254 (CIC 1854)

Attentatum est actus quo, pendente lite, ab una parte adversus alteram vel a iudice adversus alterutram vel utramque aliquid innovatur in praeiudicium partis, eaque dissentiente, sive quoad materiam litis, sive quoad iura processualia, salvis praescriptis cann. 53, 107, 108.

Can. 255 (CIC 1855)

Attentata sunt ipso iure nulla.

Can. 256 (CIC 1857)

Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.

— De sententia quorundam organorum consultationis hi canones videntur inutiles, quia attentatum lite pendente non est nisi quaestio incidens, quae quidem, ut supra dictum est, « expeditissime » solvenda est, seclusa appellatione nisi una cum sententia definitiva.

Consultores censem attentatos lite pendente esse casus peculiares causae incidentis, qui speciale considerationem merentur, ideo non possunt canones simpliciter supprimi. Attamen notio attentati, quae in can. 254 praebetur, nimis lata videtur et Consultores volunt illam restringere ad innovationes circa materiam litis et circa terminos iudiciales. Ad normas vero quod attinet, quibus tales innovationes vetantur invalidasque declarantur, non videtur necessarius articulus peculiaris, sed sufficit normam addere ubi de terminis iudicialibus (can. 69) et de litis contestatione (can. 156) sermo est.

Cum omnes Consultores ita concordes sentiant, decernitur ut cann. 254-256 deleantur et cann. 69 § 2 et 156 ita redigantur:

*Can. 69, § 2: « Termini autem iudiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis et potentibus partibus, prorogari; *numquam autem, nisi partibus consentientibus, valide coarctari* ».*

*Can. 156: « Controversiae termini, semel statuti, mutari *valide* nequeunt nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis et auditis reliquis partibus earumque rationibus perpensis ».*

